

EXERCITATIO XLI.

Quanta perfectio sit Dei simplicitas & quinam ex ejus contemplatione usus habeantur.

1. EX omnibus suprà dictis jam patet, quanta hæc sit supremi Entis excellentia, quòd omnes omnino perfectiones inseparabili modo complectatur, quam Simplicitatem ejus dicimus.

2. Multi homines sciunt quidem quid faciendum, sed nolunt, aut vellent quidem si scirent, aut si volunt & sciunt, non possunt, aut possent quidem, si diu satis viverent neque carerent perpetuitate existendi, aut incipiunt egregiè, sed postea mutant consilium: imò mutantur in horas, quod volunt jam, statim iterum nolunt, nec cœpta continuant; atque ita perfectiones suas non obtinent simul & semel nec Virtutes omnes possident: in Deo scientia, voluntas, potentia, æternitas, constantia & immutabilitas individuo semper nexu cohærent.

3. In homine sæpe ut desunt vires, tamen est laudanda voluntas: Dei laus longè major, quæ non à sola voluntatis bonitate, verùm etiam à virium robore summo proficitur. Multi sic justi videntur, ut careant

S 3

mise-